Malos deus uindemiare dicitur.
cum eos quos ipse prius per predica-
tores suos excoluit, subtracta
gratia steriles et inanes dereli-
quit. Potest etiam uindemiatio
ipsa ad electos referri. quia ni-
mirum cum quidam per infideli-
tatem ab unitate ecclesie subtrahun-
tur. ipsa sancta ecclesia nuda sibi et quasi
spoliata remansisse uidetur.
Unde cum magno pietatis affectu
pronunciandum est. hoc quod dicitur. Vi-
de domine et considera quem ui-
delicet populum tuum pusillum
gregem tuum uindemiaris ita.
Quomodo? Subiungit. Ergo
ne comedent mulieres fructum
suum. paruulos ad mensuram
palme? Per mulieres recte malos
prelatos accipimus. sensu carnali
et fluxis moribus emollitos. qui
fructum suum comedunt quia
de labore ministerii sui in presen-
ti uita remunerationem accipi-
unt. E contra bonis doctoribus
dictum est. posui uos ut eatis
et fructum afferatis et fructus
uester maneat. Electorum namque
fructus permanere dicitur. quia eis
pro labore non transitoria merces.
sed premium eternum conseruatur.
Mulieres ergo comedunt fructum
suum. quia carnales quique dum
in hac uita laboris sui mercedem
accipiunt. quasi fructum suum non
conseruant sed consumunt. Quales

sit autem fructus iste declaratur
cum dicitur. paruulos ad mensuram
palme. Paruulos hic non etate
sed fide intelligere debemus. Per
palmam uero initium boni operis
non inconuenienter accipimus.
Quid est ergo quod fructus mulie-
rum paruuli dicuntur. nisi quia
fides credentium doctoribus ad
premium reputatur. quos uideli-
cet paruulos carnales prelati co-
medunt. quia nimirum dum
terrenis inhiant. infirmos fide
et incipientes per exemplum ma-
li operis ad interitum pertrahunt.
quos prius per uerbum predicationis
in fide genuerunt. Vel certe
tunc mulieres paruulos suos
comedunt. quando mali prelati in
ecclesia subiectos quosque quos
cibo celestis alimonie pascere
debuerant. rebus suis auare
spoliando per inopiam affligunt.
Sequitur. Si occiditur in sanctu-
ario domini sacerdos et propheta.
Per sacerdotem et prophetam eos-
dem hic intelligere debemus.
quos paulo ante per mulieres
signatos accepimus. prelatos
scilicet qui et per uerbum pro-
phete sunt. et per ministerium sacer-
dotes. Per sanctuarium autem cultus
diuinus exprimitur. acsi diceretur.
Si prelati spiritualia indigne admi-
nistrando pereunt. quare ergo scele-
ra eorum subiectos innocentes